

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Harles, Christian Friedrich. Analecta historico-critica De Archigene Medico et de Apolloniis Medicis eorumque scriptis et fragmentis. Auctore D. Christ. fried. Harles**

*Erlangae et Bambergae : apud C. F. Kunz, 1816.  
Cote : 90959x70x22*

De

A r c h i g e n e M e d i c o

et de

A p o l l o n i i s M e d i c i s

eorumque scriptis et fragmentis.

---

Auctore

D. Christ. Fried. Harles



Reg. Pot. Bavar. Consiliar. aul. Ducis Ser. Anhalt. Consiliar. intimo aul. Med. et Clin. Professore Publ. O.  
Reg. Bavar. Acad. Scient. Membro ord. et aliarum plurium Academiar. et Societ. litt.  
Socio tum Honorar. tum Ordin. tum Correspond.

---

*Accedit Apollonii Erasistratei de scarificatione fragmentum graecum.*

---

Erlangae

sumtibus Auctoris

et Bambergae

apud Car. Fried. Kunz. 1816.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



INCLYTAE ET SPLENDIDISSIMAE  
REGIAE BRITANN. HANNOVERANAE SOCIETATI  
SCIENTIARVM  
QVAE GOETTINGAE RESIDET

NEC NON

INCLYTAE ET SPLENDIDISSIMAE  
MAGNI DVCIS ETRVRIAE SOCIETATI SCIENTIARVM  
ET ARTIVM  
QVAE LIBVNI RESIDET


IN  
OBSERVANTIAE PIETATIS ET GRATIARVM TESSERAM

D. D. D.

SOCIORVM STVDIOSISSIMVS

AVCTOR





ARCHIGENES APAMENSIS.



Inter graecos ortu linguave Medicos celebriores, Romae sub Imperatoribus saeculo I. et II. di initio florentes, fuit *Archigenes*, patria Apameensis Syrus, referentibus *Galeno Opp. ed. Charter. T. IV. p. 575.* et *Suida* (sub hoc nomine), Philippi filius. Romae is artem medicam magna cum fama et laude exercuit, postquam ex Agathini, sectae Pneumaticorum post Athenaeum statoris secundi, schola excesserat. Vixit *Archigenes* tempore Trajani\*), et plures adhuc annos post Agathinum, quem praeceptorem semel ex vigiliis nimis delirantem olei calidi larga in caput illinitione ipse sanaverat, Aetio teste. Princeps is sectae Eclecticae conditor, immo eius caput a Galeno dicebatur, ab eodem Galeno licet, in eo sibi

\*) *Renat. Moreau*, in libro suo hodie rarissime in editione originali obvio, et a *J. H. Schulze* a. 1741. denuo edito, de *missione sanguinis in pleuritide*, Paris. 1650. pag. 4 inquit: Archigenes, sive cum esse voverimus, cuius meminit Juvenalis, sive *Adriani* Imperatoris contemporaneum, eiusque morte infamem etc., eumque circa a. Christi CXX. viventem ex Xiphilino exhibet. At vero apud Xiphilinum (*Oration. ed. Matthiae*) legitur *Hermogenes*, qui fuit medicus e secta Empiricorum, et circiter Galeni tempore aut probabilius aliquanto ante eum vixit, ab ipso Galeno aliquoties citatus. De hoc autem Hermogene narratur historia, quam *Moreau* innuit, a *Dione Cassio*, indicavisse eum Imperatori Hadriano locum infra thoracem, in quo venenum illinire sibi possit lethale, quo citius inde moriatur; unde „Hadriani morte infamis“ dictus is Hermogenes. *Mercurialis* in *Variar. Lection. L. I. cap. 5.* locum hunc rectius eo emendari putavit, quod Hermogenis loco legeretur *Archigenes*. Hinc orta est *Moreau* non solum sed *Castellani* quoque (in *vitis illustr. medicorum, Antwerp. 1618, pag. 96*) a reliquis auctoribus circa Archigenis aetatem dissensio. *Castellanus* enim, memorato primum Archigene a Juvenale laudato, addit: „Fuit et alius Archigenes Adriani Imp. aevo, Galeno aequalis. Hic Adriano vitae pertaesio locum ostendit sub mamilla, cui illitum venenum repente mortem acceleraret. In Xiphilino quidem pro Archigene legitur Hermogenes; sed *Mercurialis* locum emendavit.“ Vere autem Mercurialem sic textum Dionis C. emendasse, merito *Dan. Le Clerc* iam dubitavit (*Histoire de la Méd. 1723. pag. 503*). Apud eundem *Le Clerc* plura etiam leguntur de *Hermogene* illo Erasistrateo, de quo etiam confer. *Rich. Mead* de nummis Smyrn. Medicor. p. 71. et *Fabricii Bibl. Graec. Tom. XIV. p. 180—82.* (ed. vet., siquidem nova editio B. Gr. a beato *Patre meo*, cuius Viri optimi et de re literaria longe meritissimi nuperrime pro dolor nobis erepti memoriam semper pie colam, curata, tantum ad XII. usque volumen processit.

contradicente, duobus locis Pneumaticus quoque vocatus. (De loc. affectis L. II. c. 8 et de differ. puls. L. IV. c. 12.), atque a *Caelio Aurel.* (acutor. morb. lib. II. cap. 10.) „*ex nostris*“ i. e. methodicis dictus (nisi hoc loco *Soranus* potius, quem *Caelius* maximam partem latino ore satis barbaro reddidit, hic loquens intelligendus est, quo posito illud „*ex nostris*“ rectius forsitan de aetate *Archigenis* coeva cum *Sorani* ea explicandum videtur). Quod priorem quidem attinet *Galenus* in nominando *Archigene* tum *Eclecticam* tum *Pneumaticam* contradictionem, haec revera non magni momenti videri potest cuique consideranti, sectam *Eclecticam* a *Pneumatica* reapse haud multum discrepasse, sed iam potius, cuius statorem *Archigenem* revera habendum esse, equidem contra *Caelium* et amicissimum *Osterhauseni* opinionem (inter *pneumaticos* *Nostrum* referentis), contendere malim, *pneumaticae* quasi propaginem et peculiarem tantum speciem, ex huiusmodi cum *dogmaticae* *empiricaeque* sectae quibusdam doctrinis connubio ortam, fuisse.

In iudicio de *Archigenis* ingenio, doctrinae indole, meritisque ferendo praecipua quidem *Galenus* auctoritatem et effata sequi nos oportet, siquidem is reliquis specialiter de *Archigene* egit, plurimaeque eius placita et inventa servavit. At haud praetervidendum, *Galenus* de *Archig.* iudicia, haud raro satis acerba et adversaria, haud utique in partium studio libera saepiusque ex invidia quadam et vituperandi pruritu videri profecta. Haud tamen prorsus injustum fuisse *Galenum* putes in *Archigene* iudicando, siquidem is nostrum praeclarum in arte sua et acutum in iudicando dicit, eumque multa reliquisse ἀξιολογα συγγράμματα testatur (de dieb. crit. Opp. T. II. p. 177), eundemque medicum non vulgarem vocat. Inter haec tamen apud eundem *Galenum* audit Noster nimis subtilis in definiendo, et Φιλορησίας morbo laborans (Opp. T. III. p. 41), haud tam novarum rerum, quam novorum nominum nimis studiosus, obscurus, et negligentius in medicamentis describendis versatus (T. II. p. 174), etsi alio idem loco (compos. med. sec. gen. cap. III.) optime *Archigenem* medicamenta conscripsisse professus sit. Atque totum copiosissimumque fuisse *Archigenem* in medicamentis componendis et colligendis, etsi in ipsorum delectu nimis facilem et in compositione nimis saepe inconcinnum et superstitiosum, non solum iam a *Hallero* et *Sprengelio*, qui optime de Nostro iudicarunt, observatum est, sed ex *Galenus* *Aetii*que ipsa lectione abunde liquet. Tantumque fuisse nostri in disputando pertinaciam, *Galenus* ait, ut statueret, civitatem potius, quam ullum sectae placitum esse prodendum (de differ. puls. L. II. cap. 10.; sin alius in hac re *Galenus* fides est habenda). —

Caeterum, quanta fuerit *Archigenis* ut medici practici inter Romanos coevos fama, videre quoque licet ex *Juvenalis* Satyra VI. v. 256.

— „Tunc corpore sano  
Advocat *Archigenem*, onerosaque pallia iactat.“

Ad quem locum vetus *Scholiastes* notat, Archigenem fuisse *Medicum magnum illius temporis*.

Item ex Eiusdem Satyra XIII. 98.

Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec Archigene — — —

Et Sat. XIV. 52. Ocius Archigenem quaere, atque erue, quod

Composuit — — — —

Laudant inter seriores Graecos Nostrum *Aetius*, *Alexander Trall.*, *Θειοτατον* eum vocans, *Oribasius*, *Caelius Aurelianus*. (tribus locis), *Paulus*, *Theoph. Nonnus*, *Myrepsus*, *Arabesque* plures.

Obiit Archig., *Suida* teste (T. I. p. 545) Romae aetatis anno 69, *Eudocia* vero autore, apud *Villoison* (anecd. Graec. Vol. I. pag. 65) anno 83. Haud profecto exigua ingeniosi huius medici et in theoria acutissimi — etsi nimis in distinguendo subtilis — non solum inter coevos sed posteros quoque, fuit celebritas atque auctoritas, sicut etiam ingens eius in conscribendis libris pathologicis et therapeuticis industria. Proh dolor scripta eius numero permulta, infra recensenda, cuncta fere deperdita sunt, neque nisi pauca fragmenta a Galeno, *Oribasio*, et in primis ab *Aetio* servata restant.

*Scripta Archigenis*, quotquot a Galeno praesertim commemorantur, sequenti ordine recensenda erunt:

I. Liber unus praegrandis (uti *Galenus* ait de different. puls. IV, 12.) de *pulsibus*, cuiusque sequentia fuere capita (teste Galeno de differ. puls. II, 6, 41.): 1) de magnitudine pulsuum, 2) de vehementia pulsuum, 3) de plenitudine p. 4) de duritie, 5) de ordine et perturbatione p. Huius Operis magna fuit auctoritas, eique interpretando operam tyronibus navarunt praeceptores medici, teste Galeno de diff. puls. II, 6; quid quod ipse *Galenus Commentariorum* in hoc *Archigenis de pulsibus* opus libros octo conscripserit, nobis tamen haud servatos (*Galeno* de libr. propr. cap. 5.). Multa ex hoc *Archigenis* opere apud *Galenum* occurrunt loca, praesertim in L. III. de differ. puls.; item de diagnos. puls. IV, 2., de praesag. ex puls. III, 8.; de caus. puls. I, 7. III, 56. etc.

II. De locis affectis libri III., saepius a Galeno ut eximii laudati, ex gr. de locis affect. I, 1., II, 3. 9., de Crisib. II, 8. ubi opus illud a Galeno optimum omnium, quae circa hanc materiam ante scripta fuere, dicitur.

III, *Epistolarum medicinalium* libri XI, a Galeno de loc. aff. III, 5. et ab *Aetio* I, 5. citati. In iis consilia quoque data erant ad morborum curam; prima Epistola Libri I. erat ad *Marsum*, de modo, quo is patri memoriam laesam restituere posset.



IV. *De febris significatione et diagnosi* liber unus, cit. apud Galen. Meth. med. VIII, 5. de diff. puls. III, 7.

V. *De febrium signis, libri decem*, apud Galen. de diff. puls. III, 7. de praesent. ex puls. III, 7., quod opus postea in compendium ipse auctor redegit.

VI. *De febrium differentiis*, apud Gal. comment. in Epidem. VI, 5. 29.

VII. *De propriis diuturnor. affectuum signis*, apud Galen. de loc. aff. III, 12. et Oribasium, Coll. med. VIII, 1.

VIII. *De morborum temporibus s. stadiis* libri II. apud Galen. de totius morborum temporibus c. 8.

IX. *De vehementia pulsus* apud Gal. de diff. puls. III, cap. 7.

X. *De plenitudine*, apud Gal. de diagnos. puls. IV, 2.

XI. *De medicamentis secundum genus* libri II., cit. a Gal. de compos. med. sec. gen. IV, 9. et de comp. m. sec. loc. V, 2. et ab Alex. Tralliano lib. I, cap. 15.

XII. *De Castorei usu*, Gal. de simplic. medic. facult. II, 1.

XIII. *De Helleboro propinando*, apud Galen. in Hipp. de humana natura I, 12. et completius apud Oribas. l. VIII. c. 1. 2.

XIV. *De memoriae laesae restoratione*, apud Galen. de loc. affect. III, 5. Liber hic, probabiliter paraphrasis epistolae ad Marsum supra dictae, Romae minus cognitae, hinc a Galeno studiose quaesitus fuit.

XV. *De ratione morbos diuturnos curandi* lib. I., laud. ab Oribasio, C. 1. l. VIII.

XVI. *De partibus amputandis* libellus, integer servatus ab Oribasio, l. IX. et e Nicetae collectione ab Anton. Cocchio editus. Reperitur etiam huius libelli graecus codex in Catal. Biblioth. MSS. Reg. Parisiensi, nro. 2247.

A Fabricio alii adhuc Archigenis libri *de musculis, et regularum victus libri* ex Tiraquellii auctoritate nominantur, quasi a Galeno citatae. Tales vero neque Fabricius in Galeno invenit, nec ego invenire potui. Quae porro dicuntur ab Aetio, Paulo Aegin., Nicolaoque Myrepto singulae Archigenes Epistolae, e. g. *ad Marsum de atra bile, ad eundem de melancholia*, aliae ad Atticum et Aristonem, ex supra laudato Epistolae medicinal. opere citatae esse videntur. —

*Fragmenta* ex operibus dictis Archigenis complura exstant tum quidem apud Galenum, qui tamen magis in permultarum compositionum et formularum medicarum, ab Archigene praeceptorum descriptione insistit, hinc pauciora tantum alia ex Archig. fragmenta habet,

tum apud Oribasium, tum maximeque apud Aetium, tum apud Alexandrum et Paulum Aegin.

Apud Galenum obvia fragmenta ex Archig. plura iam supra (pag. 5.) dixi. Ad-  
dam adhuc locum Arch. de dysenteriae sede etc., (*Gal. de locis affect. l. III. c. 5.*), et de  
remediis ad capitis dolores, (de comp. medicam. secund. loc. l. II.)

Apud Oribasium leguntur sequentia ex Archigenis operibus fragmenta:

- 1) *Quomodo praeparandus sit is, qui Helleborum sumturus est. Ex Archigenis de cu-  
rationibus morborum chronicorum libro primo. (Orib. med. collect. l. VIII, cap. 1. 2.,  
sive rectius cap. 1—4.) Valde longa haec, quae ab Oribasio describitur, est  
Arch. commentatio.*
- 2) *De Vomitibus ex cibis; opere Archigenis, ex quo hoc sumtum fuerit, haud di-  
cto (Orib. C. l. VIII, cap. 25.). Videtur ex eodem illo opere, sub nro. 1. citato.*
- 3) *De purgantibus medicinis in febris, (ib. c. 41.), opere Archigenis, unde hoc caput  
haustum fuerit, itidem haud expresso, probabiliter tamen pro eodem, ac su-  
pra dicto, censendo.*

Haec quidem ex Archigene fragmenta usque ad annum 1808 non nisi in latina  
versione prostabant, quam doctus olim Jo. Bapt. Rasarius ex codice graeco librorum  
XV. priorum Oribasii Collectaneorum medicorum (*Ἱατρικαὶ συναγωγαὶ*) Bibliothecae  
Mosquensis confecerat et Paris. 1555 in 8vo ediderat, atque sic ad novissimum usque  
tempus illius solummodo Rasarii in vertendo textu originali dexteritati bona fides habenda  
erat, delitescente hactenus textu graeco non solum supra dictorum capitum ex Archi-  
gene, sed totius operis Oribasii, Collectaneorum med. inscriptione insigniti, in binis  
codicibus, altero scil. Mosquensi, altero (a Rasario pariter usitato) in biblioth. olim  
Dandoli Senatoris Veneti, nunc Florentina exstante, utroque hucusque in textu origi-  
nali nondum plenarie edito. Anno autem supra dicto 1808 Vir de antiquitate illustranda  
meritissimus et pluribus auctoribus graecis, iisque medicis quoque (ut Rufo Ephesio,  
Nemesio etc.) perfectius edendis celeberrimus, *Christ. Fried. de Matthaei, ὁ πρῶτος μω-  
ναχικῆς*, Philolog. Professor primum Vitebergensis, postremo Mosquensis, ex Oribasii  
codice Mosquensi, ex monasterio quodam montis Athos in Bibliothecam Imper. Mos-  
quensem transportato, supra citata Archigenis fragmenta graeco suo textu originali,  
descripsit et una cum pluribus aliis aliorum medicorum fragmentis graecis ex eodem  
Oribasio typis excudi curavit\*). Ipso tamen contextu ex librarii licet incuria vel in-

\*) Inscribitur haec editio splendida et sumtuosa ita: *XXI veterum et clarorum Medicorum graecorum varia  
opuscula, primo nunc impensis — fratrum Zosimadarum nobilissimorum Joanninorum ex Oribasii codice*

scitia multis locis vitioso et corrupto vel male mutato, vel omni editoris adhibita cura et emendandi peritia fieri non potuit, quin plura adhuc restarent vel manifeste vel probabiliter falsa et praeter auctoris graeci sensum descripta. Multi tamen loci ab editore graece doctissimo optime sunt restituta et correctata.

Quae quidem fragmentorum ex Oribasio collectorum editio graeca, a b. de Matthaei in tantum historiae artis litterarumque usum facta, quum partim ob pretii, quum venditur, caritatem, partim ob rariorem ipsius inter Germaniae medicos philologosque distributionem longe maiori horum numero vix unquam, putem, in manus veniet, coarsullissime equidem neque medicis philologisque popularibus reliquisque inoptatum nacturum esse duxi, quum horum ex Archigenis operibus fragmentorum textum graecum nova recensione quantum fieri possit purgatum, una cum reliquis ex Archigene fragmentis apud Aetium obviis, seorsim typis exseribendam curarem; id quod, nisi occasio prius data alia specialiore, certe in *Operum meorum minorum academ.* Tomo II. fiet.

In Aetii opere medico, *tetrabibiorum* nomine seriori demum tempore a librariis (Cel. Weigelio in exercitatt. suis de Aetio id probante) insigniri solito, fragmenta ex Archig. scriptis sequentia prostant, eaque magnam partem breviora, operibus Archig. ipsius ex quibus deprompta fuerint, ut plurimum ab Aetio haud nominatis. (Ex hisce fragmentis ea solum graeco textu typis expressa prostant, quae in editione Aetii graeca Aldina, libros VIII. priores sive Tetrabibl. I. et II. tantummodo exhibente, obveniunt. De reliquorum ex Archigene fragmentorum in reliquis Aetii libris IX — XVI. obviis graeca editione optima quaevis speranda sunt ab industria et scientia Cel. Dr. Weigelii, editionem totius Aetii graecam iam dudum summo cum studio praeparante.)

1. *De Balneis naturalibus*, Tetrab. I. Serm. 3. cap. 167.
2. *De spongiae usu*, ibid. cap. 170.
3. *Hiera*, ex Archig. *Epistola ad Marsum de atra bile*, ibid. cap. 114.
4. *De Dropace, Picis usu ext., et Sinapismo*, ibid. cap. 180. 181.
5. *De Vertiginosis et Insania*, Tetrab. II. Serm. 2. cap. 7. 8.
6. *De Paralyti*, ibid. cap. 28.
7. *De Convulsione, et de Tetano*, ibid. cap. 59.
8. *De Cephalaea et Hemicrania*, ibid. cap. 50.

---

Mosquensi graece edidit, interpretat. latinam J. B. Rasarii suasque animadversiones et indicem adiecit Chr. Fr. de Matthaei etc. Mosquae 1808 volumen 416 pagg. in 4to maiori,

10. *De suppuratione pectoris (pulmonum)*, ib. Serm. 4. cap. 65.
11. *De Volvulo et Chordapso* (ilei specie, in tenuibus intestinis supra umbilicum ex antiquorum opinione et distinctione locum habente), Tetrab. III. Serm. 1. cap. 28. Hoc fragmentum satis longum seorsim *graece* primum edidit, latina versione emendatiore instruxit, et doctis annotationib. illustravit magnus olim antiquitatis medicae doctor et commentator, Io. Ern. *Hebenstreit*, in *prolusione* in-  
vitat. ad Disput. inaug. D. Clausen, Lips. d. 21. Oct. 1757. (*Aetii Amid.* *Ανεκδοτων* lib. IX. cap. 28.)
12. *De Hepatis abscessu et exulceratione*, Tetrab. III. Serm. 2. cap. 4. 5.
13. *De sanguinis mictu*, T. III. Serm. 5. cap. 5.
14. *De Renibus calculosis*, ib. cap. 4.
15. *De Diaeta in vesicae ulceribus*, ib. cap. 30.
16. *De vesicae fluxione (diabete)*, et iis, quae capillorum vel filorum forma cum urina emittuntur, ib. cap. 51.
17. *Ischiadis exacerbatae curatio*, T. III. S. IV. cap. 4.
18. *De Elephantiasi*, T. IV. S. 1. cap. 120.
19. *De Viperarum esu*, ib. c. 125.
20. *De Pruritibus cutis*, ib. c. 126.
21. *De Lepra*, ib. cap. 154.
22. *De cancro mammarum*, T. IV. S. 4. cap. 45.
23. *De fluxu menstruo*, ib. cap. 65.
24. *De Uteri abscessu et exulceratione*, ib. cap. 85. 88.
25. *De cancro Uteri*, ib. cap. 90. 94.

Apud *Alexandrum Trallianum* unicum invenio fragmentum ex *Archigenis* scripto quodam haud specialius dicto, nimiram: *de amuletorum corpori alligatorum et antipathicorum in Epilepsia usu* (*περὶ ἀμύλητων καὶ ἀντιπαθῶν πρὸς ἐπιληπτικὰς*), libr. I. cap. 15. (*Opp. Trall.* edit. Güntheri Andern. 1556. p. 82.) In hoc fragmento ab *Archigene Asclepiades ὁ Φαρμακευτῆς* (s. *Pharmacion*) ut auctor amuleti cuiusdam adfertur.

Apud *Paulum Aeginetam*, praeter plura *Archigenis* medicamenta exscripta (inter ea hieram quoque habet, *Rei med.* l. III. cap. 68., convenienter cum *Oribasii* supra dicto fragm.), bina tantum occurrunt fragmenta, ad *Archigenis* praecepta medicamen-

taria pertinentia, alterum scil. *lib. IV. cap. 7.*, „*medicamenta ad stigmata s. exanthemata peticulosa ex Archigene*,“ et alterum *lib. V. cap. 12.* „*medicinae ad viperarum morsum, ex Archigene*.“ — Plures Archigenis compositiones formulasque medicamentarias habent etiam Myrepsus, Nonnus, et Actuarius.

In codicibus manuscriptis graecis quibusdam etiam quaedam fragmenta ex Archigene adhuc anecdota exstare dicuntur. Tale in *Bibl. Reg. Paris. Catalogo* sub no. 227 *de calculis renum* fragm. a *Fabricio* (*B. Gr. XIV. p. 780*) et a *Hallero* (*Bibl. chirurg. I. p. 69*) citatur; et in collectione chirurgica *Nicetae*, cuius partem tantum *Anton. Cocchi* 1754 graece edidit, longe maiore adhuc gr. inedita, *Archigenis περι της υποδραμοντος αιματος*, et aliud *περι της των ξαφων διαταξεως περι των αφαιρεθησομενων μερων* existit.

\* \* \*

De *Archigenis Doctrina*, placitisque ac inventis physiologico-pathologico-therapeutiis prolixius hic agere, haud ex propositis mihi est, neque necessarium, siquidem saltem clarè fuseque de illis exposuere tum *Haller* in *Bibliotheca med. pract.* T. I. pag. 198 sqq. et in *Bibliothec. anatom.* T. I. p. 74, 75. nec non in *Biblioth. chirurg.* T. I. p. 69—71. tum *cel. Sprengel*, in classici sui operis *Versuch einer Geschichte der Arzneik.* T. II. p. 67 sqq., nec non *Cel. Osterhausen* in doct. Diss. exhib. *Sectae Pneumaticor. medicar. histor.* 1791. p. 14 sqq. Hinc potiora tantum propriaque Archigenis praecepta, quibus is potissimum eclecticae sectae et pathologiae dialecticae subtilioris caput extitit, in compendio, omissa singulorum locorum probantium, quos *Hallerus* et *Sprengelius*, et inter antiquiores antiquitatis medicae enarratores ex parte *Reinesius* et *Le Clerc* iam notarunt, citatione, ex fontibus proferre sufficiat.

In *pulsuum* definitionibus et distinctionibus Noster imprimis multus, diffusus, nimisque subtilis fuit, obscuritatis et confusionis cuiusdam vitio, cuius causa *Galenus* eum quoque haud immerito nec acerbe vituperat\*), haud carens. Interea pulsus tamen et cordis arteriarumque ad ipsum rationis aliquanto rectiorem habuit notionem, quam quae aevi illius medicis esse suevit, *Erasistrato* in hoc multum accedens. „*Cordis enim et arteriarum distensionem et contractionem naturalem*“ pulsus definit, *Agathino*, vocem „*naturalem*“ non habente, aliquanto melius. Octo idem statuit pulsuum rationes sive

\*) Lectu digna est in specie urbana attemperata gravis sententia, quam *Galenus* de Archigene fecit in I. II. de locis adfect., et quam *Alexand. Trall.* repetit lib. V. p. 244.: „*Difficile erat, sit, quam homo fuerit (Arch) qui alia quidem perfectissime cognoverit, alia autem negligentius descripserit, eum haud erravisse in multis. Atque haec de tam sapienti homine (περι τηλικου ανδρος εις σοφιστην) dicere haud ausus essem, nisi veritas audacem me redderet, et tacere impium mihi videretur. Medicus enim, qui non explicat, quod ipse verius censeat, impie agit, et sibi aliisque nocet. Quare cum Aristotele duxi: amicus Plato, amica autem veritas quoque etc.*“

qualitates (*διμυμμενεις*), scil. magnitudinem, vehementiam, celeritatem, crebritatem, plenitudinem, ordinem, aequalitatem, et rhythmum. Species pulsuum numerosissimas cum subtilitate distinctionis omnem experientiam superante agnovit, inter eas primum dicrotum et myrum, sed largum, latum, et altum quoque. — In *februm* divisione et descriptione subtilis pariter fuit, et plura habuit propria. Ita semitertianae notionem talem, qualis hodie adhuc haberi solet, scil. ut ex remittente quotidiana et intermittente tertiana compositae, primus, ni fallor, statuit, epialodemque introduxit; nec non febres periodicas larvatas, cum cholera, diabete, catalepsi, febremque soporosam bene observavit. In crisi bus febr. acutar. diem 21. die 20. potiore magisque decretorium esse, contra Hippocratis doctrinam contendit. — In *doloris* specierum distinctione et multiplicatione nimis fuit admodumque symptomaticus, eas non solum secundum organorum (musculorum, nervorum, membranarum, venarum arteriarumve, et viscerum) differentiam, sed etiam secundum morborum naturam, gradum etc. diverso modo sentiri et nominandas esse affirmans. — *Dysenteriam* pariter quidem ac coevi plures, definivit exulcerationem intestinorum, tum tenuium (species acutior vel magis bilioso — sanguinea), tum crassorum (species chronica magis ac putrido — typhodes, saepe licet cum analogis crassi int. affectibus commutata): primus vero, quantum novimus, inflammatoriae naturae, qualem haud raro dysenteria prioris speciei obtineat, et venaesectionis in ea necessitatis rationem habuit, decursumque eius gradusque sat bene descripsit; in medicamentis licet contra dysent. componendis et praecipendis nimis non solum multus variusque, sed, quod ad alteram praesertim dys. speciem, crudae et infrunitae aevi empiriae insipidaeque medicaminum mixturae indulgens \*). — *Catalepsin* accuratius a similibus morbis spasmod. distinxit, typisque periodicis recurrentem eam observavit, oculis in morbi insultu apertis manentibus. — *Tetanus*, quem in pueris et senibus nunquam observasse affirmat, balneis calidis et oleosis remediis interne et externe applicandis curandum praecepit. — In *Pleuritide* et *Pneumonia* venam brachii oppositi lateris secavit, idque post breve tempus repetere suevit. — *Hepatitidis suppuratoriae* et abscessus hepatis diagnosin et decursum admodum clare descripsit, et incisionem suavit, haud occultans tamen operationis periculum. Talem abscessum suppuratione spontanea extus solvi vidit, alios puris per alvum aut urinam excretionem. — *Haematuresin* periodicam saepius observavit, sanguinemque in ea e venis mittendum praecepit, regimenque antiphlogisticum. — *Diabetem*, quem saepe vidit, venae sectione iuxta alia antiphlogistica curavit (convenienter sic cum novissime decantata ab Anglis quibusdam huius morbi curatione). — *Lepram* atque *elephantiasin*, variasque morbi utriusque species, egregie descripsit, addens observationem, homines castratos et mulieres ab ele-

\*) Vid. quae de Archigenis therapia antidysenterica specialius in commentat. mea de *Dysenteriae Antiquitatibus*, in *Operum meorum minorum acad.* T. I. (Lips. in libr. Weidmanniana 1815) dixi.

phantias haud corripit. Inter morbi huius medicinas viperarum carnem inprimis laudat. — Contra dolores ischiadicos et vertebrarum (lumbarium) commendavit emeticam venae sectionem, cucurbitulas, acria fomenta ad affectos locos, enemata acria, et purgantia amara, quae saepe bene fecerint. Multos in hoc malo *ustione* sublevatos fuisse addit. — Uteri varios morbos, canerosam praesertim indurationem et ulcerationem distinctius descripsit et curandos tradidit. —

*Therapia Archigenis* in universum magis ad *antiphlogisticam* methodum inclinavit. Sanguinis missionem inprimis amavit, crebroque adhibuit, sicuti antiphlogisticam dietam; nec non balnea calida, clysmata, et fomenta emollientia. Interea cum iisdem antiphlogisticis singulari et saepe nimium illimitato studio *adstringentes* medicinas committere, easque praesertim in intestinorum morbis et profluviis, etsi phlogisticae fuerint indolis, commendare suevit, modo cum narcoticis, modo cum purgantibus fortioribus coniunctas; uti in dysenteria, cum opio (cui favit) vel hyoscyamo etc., in catameniiis nimis, in uteri exulceratione etc. *Purgantium drasticorum* et exaestuantium haud quidem impensus fuit praeco, leniora saepius praeferens; attamen in nonnullis illorum, ut colocynthide, aloeticis, et inprimis *helleboro* (albo, sive veratro, maxime, uti inprimis et magno Archigenis de hellebori usu fragmento ab *Aetio* servato videtur, at iuxta eum certe nigro helleb. quoque) dandis commendandisque interdum nimis erat facilis, atque praecipue *hierae* suae (ex huiusmodi drasticis cum amaris et resinosis vario modo compositae) permultum tribuit (vid. *Pauli Aeg.* l. VIII. p. 264. *Aetii* T. III. S. 2. c. 19). Raphano ut emetico praeparatorio ad helleborismum fructuosius instituendum usus est et solano in cancro uteri. — Copiosissimus praesertim fuit in componendis et commendandis medicamentis externis, tum collyriis, tum fomentis, errhinis, gargarismatibus, clysteribus, suppositoriis, apud Galenum reliquosque magno numero descriptis. Interea superstitionis quoque interdum inhaesit, uti amuletis, hyacintho, mustelae sanguinis etc. — *Aquas minerales* bene distinxit, scil. nitrosas, aluminosas, salinas, et sulphureas.

De *Chirurgia* bene quoque A. meruit, eamque masculine et cum fructu exercuit perfecteque, novarumque quarundam operationum chirurg. auctor fuisse videtur, uti forsitan *lithotomiae* cum *apparatu alto* (quem vocant) peragenda, cuius saltem primum usum ab Archigene factum fuisse Cel. *Sprengel* ex *Aetii* loco (T. III. S. 5. cap. 5) existimat \*\*). In pa-

\*) Quod quidem contra Cel. *Habnemannii* sen. sententiam, quam Is in eruditissima egregiaque sua dissertatione: *de Helleborismis veterum*, Lips. 1812 de veratro albo, tanquam unice ad Galeno proprietas usque tempora sub hellebori nomine, dicto usitatoque statuit, contendere ausim.

\*\*) De hac tamen re Cel. *Sprengel* in recentiore suo opere: *Geschichte der Chirurgie* T. I. ad cap. de lithotom. nihil amplius dixit. — Vid. ibid. Archigenis operationem *fistulae lacrymalis*.

paralyti Noster canteris in medullae spinalis regione et in vertice uti praecepit, quod omnino memoria dignum est. — In amputatione artuum, quam scitissime perfecit descripsitque, primum vasa laqueo constringenda, nervos per ambitum reducendos, periosteum abradendum esse, docuit. — Abscessum uteri scalpello incidit, adhibito primum instrumento vaginam dilatante. In hydrope crurum scarificatione cum successu usus est. —

Alium Archigenem, antiquiorem, ut videtur, de quo nihil praeterea constat, memoratum invenimus in Hippocratis libro (spurio at perantiquo) *de humoribus*, Opp. ed. Lind. T. I. pag. 522.

Auctores historiae medicae antiquiores, qui de Archigene nostro memoratu digna, multo brevius licet et parlim obiter tantum, exposuere, sunt, post *Caelium Aurel.*, multa Archig. placita succinctis verbis tradentem, *Moreau l. m.*, *Hier. Mercurialis in Variis lection.*, *Reinesius in Variis lection.* et in *Epistol. ad Rupertum*, *Fabricius in Bibl. Gr. T. XIV.*, *Le Clerc l. m.*, et *Merklin in Lindenio renovato, 1756.* Recentiores supra laudavi.



## APOLLONII MEDICI PLYRES.

Medicorum Graecorum, *Appollonii* nomen gerentium, admodum magnus numerus, majorque forsitan, quam *Asclepiadum*, inter Graecos Romanosque inde ab Hippocratis temporibus ad saeculum III. (vix serius multo) fuisse videtur, siquidem ipsorum *Apolloniorum*, quorum aut significatio aut levior et incertior fit mentio apud veteres auctores et in variis inscriptionibus nummisque, a Reinesio, Grutero, aliisque collectis, numerus vicenarium multum excedat, aliique plures, qui forte vixerint, ob minorem ipsorum famam nusquam singulariter memorati inveniuntur. Atque videtur haec nominis *Apollonii* frequentia et vero ambitio simili modo, ut de *Asclepiadum* multorum nomine scimus, tempore praesertim scholarum med. Cuidiae Coaeque a derivandi et significandi divini artis medicae ortus ab *Apolline* studio quodam prurituque quo medici plures se quasi *Apollinis prolem et sacerdotes* profiteri non haesitarunt, profecta esse. Attamen minime tot revera exstitisse *Apollonios* diversos, quot medicorum sic vocatorum nomina, etsi ex parte diversis cognominibus insignita, apud veteres auctores occurrunt, curatior tum locorum ipsorum huc pertinentium, tum temporum rationumque reliquarum, quae in eruenda rectiusque illustranda antiquitatis historia respici debent, consideratio docet. Face potius critica iusto modo adhibita, nihil certius elucet, quam id, quosdam *Apolloniorum*, apud diversos auctores veteres dictorum, adeoque passim diversis cognominibus appellatorum, esse rescindendos, et cum uno alterove reliquorum *Apolloniorum* pro uno eodemque homine esse habendos, ita quidem, ut tum aliis quibusdam *Apolloniis* a diversis scriptoribus, eos citantibus, *diversa cognomina* addita fuerint, id quod manifesto ex comparatione eiusmodi cognominum apud *Erotianum*, *Galenum*, *Celsum*, *Caelium* etc. (uti postea videbimus) apparet, tum alii quidam *Apollonii* passim absque ullo cognomine dicantur, quos ideo absque errore probabili ad unum alterumve *Apolloniorum* notiorum et cognominibus suis certius distinctorum referre possis. Tantum itaque satis certo affirmari poterit, minorem fuisse *Apolloniorum* numerum, quam ex nominum ipsorum apud auctores et in monumentis obviorum multitudine conicere quis possit, historiam illius aevi obiter tantum nec critico oculo perlustrans, neque hinc tot medicos hoc nomine utentes vixisse, quot a quibusdam historiae antiquae scriptoribus, imprimis a *Fabricio*, maximum ipsorum numerum congerente, perhibentur. At quot *Apollonii* vixerint, et qui ii fuerint, quorum nomina et scripta placitaque apud auctores vet. memorantur, ac qui *Apollonii* ex memoratis hoc nomine

apud veteres ut negligentia in citando incuria vel erronea confusione perperam reliquis superadditi rescindendi sint, id nequaquam certo modo eruere, sed coniectura tantum assequi licet. Hinc omnino Apolloniorum medicorum, quorum numerum satis iam magnum aliorum quoque Apolloniorum philosophorum, grammaticorum, immo theologorum christianorum, haud parva caterva adhuc auget, historia haud exiguis premitur difficultatibus, unaque, quum de longe plurimis illorum paucissimae tantum eaeque admodum indeterminatae circa aetatem vitamque eorum notationes inveniuntur, obscuritatem. Neque ideo fieri potuit, quin vel a sagacissimis historiae medicae auctoribus, uti a Fabricio in *Biblioth. Graeca*, Dan. *Le Clerc*, Hallero, Sprengelio, aliisque haec difficultates et caligines, Apolloniorum plurimum historiam obvolvantes, satis clara luce illustrarentur. Neque mihi tale quid successurum esse, facile concedam. At periculum saltem facere licebit, et ex diligenti locorum potiorum, ad Apolloniorum notitiam facientium, comparatione critica videre iuvabit, an expeditior evadat implicita haec materia. Primum quidem Apollonios, quotquot invenimus, alphabetico ordine recensebimus, Fabricium in ipso sequentes, permulta licet aliter exposituri, novosque alios Apollonios addituri.

I. et II. APOLLONII duo ANTIOCHENI, pater et filius, Medici Herophilei et Empirici dicti. Hi post Serapionis tempus floruerunt, uti ex *Pseudogaleni Isagoge* cap. 4. apparet. Incertum utrius horum librum *περὶ μύρων καὶ σερῶνων* ab Athenaeo L. XV. citari, Fabricius observavit. At vid., quae inferius de hoc libro ad Ap. Citium dicentur, et cfr. ad hos Ap. Antiochenos Apollonium Biblas.

III. APOLLONIUS ARCHISTRATOR, citatur a Galeno, de comp. med. secundum genera lib. V. pag. 383. — Pergamenus fuit, Domitiani tempore Romae degens, et auctor libr. *Euporistorum*, testante Galeno de comp. medic. sec. loca Lib. I. III. V. Hunc citat. distinctius Ill. Sprengel, *Gesch. d. Ak.* T. II. p. 41, et plura eius medicamina indicat.

IV. APOLLONIUS BIBLAS, apud Galenum in lib. III. comm. in Epidem. Hippocratis, Tom. V. pag. 15, ubi laudat ejus librum *περὶ χαρακτήρων* contra Zenonem Herophileum. At hic Apollonius, Biblas dictus, idem fuisse putandus est, quem paullo supra Apollonium Antiochenum filium nominavimus cum Fabricio, et qui passim apud Caelium Aurel., Galenum, et Soranum Apollonius Herophileus filius dicitur. Hic Apoll. Biblas patrem suum contra invectiones Zenonis proprio libro adversus Zenonis librum de characteribus Hippocratis, scripto defendit, uti ex Galeni loco supra cit. apparet. Cum hoc Apollonio Herophileo sive Antiocheno juniore, s. Bibla, unus idemque esse procul dubio videtur Apollonius Cyclas, de quo Hallerus B. med. pr. I. p. 137 ex Galeni loco supra citato agit, et quem lectionis vitio tantum ita ab Hallero loco „Biblas“ scriptum fuisse puto. Eundem Apollonium licet Galenus hoc loco pariter, ac alio loco in *Isagoge* patrem, Empiri-

eum vocet, haud concinne tamen id G. fecisse, vereque Herophileum utrumque illud Apollonium fuisse atque diversum ab Erasistrateo, equidem nullus dubito. Notandum tamen, Herophileos interdum a Galeno aliisque etiam Empiricos vocatos fuisse.

V. APOLLONIUS CITIENSIS, s. *Cittieus*, cuius a Caelio (lib. I. Chronicor. cap. IV. et acutor. III. cap. 5.) liber II. de *Epilepticis* citatur. Citium (urbem Cypri insulae) Apollonii Medici patriam fuisse, notat etiam Strabo. Geogr. I. XIV. c. 54. Hunc A. *Cittieum*, Herophili sectatorem, Antiocheni Apoll. coevum, XVIII. libros contra *Heraclidem Tarantinum* (?) scripsisse, *Erotianus* (in Glossario voc. Hippocrat. ad vocem ἀμβη, et in praefatio oemio), ait. A Caelio, chron. I. 4. inter *Sorano* vetustiores una cum Menecrate, Philotimo, Chrysippo, aliisque nominatur. A Hallero idem dicitur discipulus Zopyri, coevi Mithridatis, fonte tamen huius notitiae haud distincte indicato. An hoc ex *Niceta*? Praevidetur ap. hic *Citiensis* vel *Cittieus* unus idemque est cum *Apollonio Mus*, ad quem postea, sicut statim quoque ad Memphitem, adhuc quaedam de *Cittieo* dicuntur.

VI. APOLLONIUS GLAUCVS, qui ex *libris de interioribus* (morbis) citatur a Caelio Aureliano lib. Chronicor. IV. cap. 8. De hoc A. *Glaucos* nihil aliud prorsus constat. An idem is cum priore? aut cum sequente?

VII. APOLLONIUS MEMPHITES, quem Galenus in *Isagoge* T. IV. p. 591 et lib. I. Antidotorum citat. — *Erasistrateum* eum dicit Galenus, et de *appellationibus morborum* corporis humani libros scripsisse addit (Opp. T. IV. p. 575). Eundem Memphitem librum de *articulis* (i. e. luxationibus et aliis articular. morbis) scripsisse, *Erotianus* l. m. ait. Idem vero *Erotianus* libri eiusdem tituli de *articulis* (περι άρθρων) Apollonium *Cittieum* quoque auctorem dicit. Igitur duo opera diversa eiusdem inscriptionis a binis hisce Apolloniis scripta fieri existimandum est. *Cittieum* vero Apoll. revera quoque fuisse Chirurgum, operaque scripsisse chirurgica, probant, quae in *Nicetae collectione* graecorum chirurg. exstant. Ἀπολλωνίου Κιτιέως περι άρθρων πραγματεία, cuius quaedam capita ab *Antonio Cocchio* cum *Oribasio* de fractis et luxatis 1754 sunt edita, atque *Apollonii* huius (? aut Memphitis?) *commentarii* in *Hippocratis* I. de *articulis*, adhuc graece inediti, ex eadem *Nicetae* collect. ab *Hallero* (Bibl. chir. I. 115) citati. Denique invenimus quoque in *Oribasii collectione* med. L. VII. duo capita (c. 19. et 20.) *Apollonii*, nullo cognomine insigniti de *scarificatione* (περι ἐγγαράξεως ἐκ τῶν Ἀπολλωνίων). An horum caput 20., in cuius inscriptione Apollonii nominis repetitio deest, Apollonio, aut an potius *Oribasio* ipsi tribuendum sit, *Hallerus* quidem dubium relinquit; equidem vero, quin Apollonio id adscribam, eo minus dubitare malim, quum caput illud 20. naturali nexu tam argumentum quam dictionis cum cap. 19. cohaereat, et optime ut continuatio huius cap. considerandum

ait, et quum in capite hoc vomo Auctor de pestilentia vehementi, in Asia saeviente, nar-  
 ret, a qua ipse fuerit correptus, et a quò morbo ipse se liberaverit scarificationibus ad-  
 modum largis duarum librarum medicar. (λτρων) in cruribus sibi factis, An vero haec  
 de scarificatione capita apud Oribasium Apollonii Memphitis, aut an Citiei fuerint, certo de-  
 fini nullo modo potest. Certe Memphitis ille, sicut inter reliquos Apollonios fama et  
 auctoritate scriptisque praeclare eminuisse, ita etiam in chirurgicis aequae, ac Citieus,  
 excelluisse videtur. An Apollonii duo, quos Celsus libr. VII. in praefat. ut chirurgos ce-  
 lebres profert, Memphitis et Citieus fuerint? Equidem existimem, ob reliquorum viro-  
 rum, ibidem dictorum, consociationem aetati fere respondentem. Caeterum Apollonius  
 Memphites Apollonio Citieo (s. Mure, ut postea vid.) aliquanto antiquior fuisse, et circa  
 Olymp. CXXX. vixisse, primumque Herophili sectator fuisse (Galeno saltem id in  
 prooemio ad Definition. med. monente), postea vero ad Erasistrati scholam transiisse vi-  
 detur. Idem laudatur quoque ab Aetio (lib. VII. cap. 20.) ut remedii ad sugillationes  
 auctor, et a Scholiaste vet. ad Nicandri Theriaca (Fabric. Bibl. Gr. ex edit. Parisiensi,  
 T. IV. p. 554):— Huius A. Memphitis effigies depicta exstat in Gronovii thesaur. Antiq.  
 Gr. T. III. sub litt. II.

VIII. Apollonius Mus s. Mus, ab aliis inter Empiricos, ab aliis inter Herophileos  
 relatus est, huius in testimonium a Clerico vocato loco apud Celsum l. V. in praefat. (parum  
 tamen id probante, quum ibi Apollonius, „qui Mus cognominatus est“, solummodo ut  
 auctor operum de medicamentor. facultatibus citetur, haud vero expressius Herophileus  
 dicatur), rectiusque forsitan in testimonium vocando Erotiano l. m., ubi is Apollonium  
 Citiensem ut auctorem librorum XVIII. contra tres Heraclidis (Erythraei) libros ad  
 Bacchium scriptorum profert, et hunc Apoll. Herophileum vocat. Etenim primo qui-  
 dem intuitu hic Erotiani locus haud de Ap. Mure intelligendus esse videtur, quum non  
 is sed Citiensis ibi dicatur. At re curatius examinata ut rem certam stabiliendam inveni,  
 hunc Citiensem (de quo vid. supra) et Ap. Murem revera unum eundemque fuisse. Nam  
 non solum Strabo (Geogr. l. XIV. cap. 54. T. VI. ed. Tschukke) de hoc Ap. Mure ex-  
 pressis verbis dicit, eum Herophileum et coevum Heraclidis Erythraei fuisse, sed  
 ipsum auctorem operis critici de secta Herophili dicunt Galenus, de composit. med.  
 sec. loc. Opp. T. III. p. 49 (Operis Apollonii M. περί της Ἡροφίλης αἰσθησεως librum XXIX  
 cians), et Caelius Aurel., Auctor. l. II. cap. 15, Apollonii Mys librorum de secta Hero-  
 phili librum XVIII. allegans. Hunc vero librorum XVIII. contra Heraclidem Erythr.  
 auctorem Erotianus in praef. appellat Apollonium Citiensem. Quare Cel. Sprengel quo-  
 que (c. 14. T. I. p. 419) Apollonium Mys e Citio natum appellare adductus est. De aeta-  
 te vero huius Apollonii dubia et contrariae auctoritates exstant. Strabone enim teste fe-  
 re hic Apollonius Mys coevus Heraclidis Erythraei fuisse, et adhuc ipso Strabonis

tempore, (καθ' ἡμᾶς), aut saltem haud multo antiquius, vixisse dicitur. Strabonem vero circa Julii Caesaris et Imp. Augusti aevum floruisse scimus. Neque obstat huic aetati Apollonio consignandae locus aliquis ex iis, qui apud Galenum de Apollonio Mure occurrunt, aut saltem ad hunc referendi sunt. Sed confirmari potius illa Ap. aetas videtur Galeni ipsius testimonio, dum is repetit, (de compos. med. sec. loc. l. III. V. VII.) Apollonium *Herophileum*, quem e toto contextu aliisque locis de hoc Ap. apud Galenum exstantibus, summa cum probabilitate *Murem* nostrum fuisse iudicandum est, aliquanto ante *Archigenem* et *Andromachum* juniorem (itaque fere Strabonis tempore) vixisse, et diu Alexandriae degisse. At vero *Le Clerc* (l. m. p. 572 et 577) difficultatem circa hanc aetatem non solum ex eo oriri putat, quod *Celsus* (in praefat. ad libr. I.) de Apollonio sine cognomine, quem ille *Le Clerc* unum eundemque cum A. Mure fuisse suspicatur, ut aliquanto post Heraclidem vivente loquatur, sed ex eo etiam, quod *Heraclides* ipse, qui discipulus *Mantiae* Herophilei fuerit, nullo modo tam sero aevo, sed certe versus finem saeculi XXXVIII, vixisse putandus sit. Error autem *Clerici* statim detegitur nobis, invenientibus, Clericum confudisse Heraclidem *Tarentinum*, quem putabat, cum Heraclide *Erythraeo*, qui omnino multo iunior illo fuit. Et *Celsi* auctoritas nulla in hac quaestione habenda est, quum illo *Celsi* loco minime expressis verbis de Apoll. Mure, sed probabiliter de Apoll. empirico s. Erasistrateo antiquiore, A. Antiochenum putes, sermo sit. — Porro *Hallerum* quoque in *Bibliotheca anatomica* I. p. 61 et *chirurgica* I. 65., errore forte Clerici seductum, Apollonii Muris aetatem nimis antiquam habuisse, eumque Herophili discipulum dixisse videmus; sed *Herophileus* tantum fuit (quod nomen plures Herophili sectatores ad Asclepiadis usque tempus et ultra gerere sueverunt), neque ipsius Herophili auditor. Neque etiam ut talis ullibi locor. apud Galenum aliosque veteres recensetur. In *Biblioth. med. pract.* (T. I. p. 154) *Hallerus* errorem hunc emendavit, Apollonium Mur. hic inter *Herophileos* nuperos ad tempora Augusti aut paulo prius, ex *Strabonis* testimonio, referens. Denique *Cel. Sprengel* (l. m. T. I.) in indice chronologico Apollonii Muris aetatem nimis etiam vetustam reddit, a. 250 ante Chr. eam computans, contemporaneam sic cum Heraclidis Tarentini aetate; idem sive dubio eodem commutationis errore, ac Clericus, seductus.

Apollonius hic forsitan etiam pluribus locis apud Galenum (uti commentar. II. in l. III. Epidem. T. IX. p. 259 40) *Empirici* nomine indicatur. At postea, sub n. XX., videbimus, alium quoque Apollonium, scil. Antiochenum, nisi plures, hoc empirici cognomine Galenum comprehendisse. Apollonii Muris Opus fuisse videtur, quod ἀπορίων sive *parabilium* nomine a Galeno (*Antidot. II.*) citatur. Praeter hoc opus scripsisse quoque dicitur a *Hallero* libros XIX. de pulsu, a Galeno (de different. puls. IV.) memoratos, quorum tamen libror. auctorem Apollonium *Memphitem* potius habendum esse censeas. Atque quum Apoll. Murem cum *Cittieo* pro uno eodemque declarare li-

cent, illi quoque praeter libros supra apud *Cittieum* citatos, *parabilium medicamentorum* (*απορροισίων*), etiam libri *de Epilepticis* tribuendi erunt.

IX. APOLLONIUS ὁ Ὀφίς, ab *Erotiano* solo in prooemio sic citatus, de quo vid. infra ad Apollon. ὁ Θῆς.

X. APOLLONIUS ORGANICUS, cit. a *Galeno* de compos. med. sec. gen. l. V. T. II. p. 591, ut *Asclepiade* antiquior. Idem is esse omnino videtur, quem supra Ap. *Archistratorem* diximus.

XI. APOLLONIUS PERGAMENUS, apud *Galenum* nusquam occurrens, citatur ab *Oribasio*, *Euporist.* l. I. cap. 9. et libr. ad *Eustath.* VIII., cap. 15. ubi observasse ille fertur, multos, quibus hydrophobia ex alia causa supervenerit, sanatos fuisse, neminem vero, qui ex canis rabidi morsu in hydrophobiam inciderit. *Clericus* errasse videtur, quam illum A. Pergamenum etiam a *Plinio* mai., in quo tamen nusquam quid de illo expressius inveni, et a *Varrone* citari dicitur. Ex loco illo apud *Oribasium* conici possit, hunc eundem esse cum Apollonio auctore fragmenti supra dicti *de scarificatione*, in eiusdem *Oribasii Collect. Med.* exstantis, sive huius auctor fuerit Ap. *Cittieus*, sive *Memphites*, sive *Antiochenus senior*, siquidem illo loco in l. *Euporiston* A. *Pergamenus* ut scarificationis tibiarum suasor (convenienter cum fragmento illo in *Oribasii Collect.*) laudatur. Neque obstat huic coniecturae Pergameni cognomen, siquidem tale haud solum ex urbe patria, sed ex domicili quoque loco dari potuerat, neque raro exinde addi saevit. Sed rectius probabiliusque A. Pergamenum hunc pro uno eodemque cum Apoll. *Archistratore* supra dicto declarare posse mihi videor propterea, quod *Galenus* (uti supra pag. 14. ex eo dixi) hunc Pergamenum fuisse notaverit. Aut an hic et *Memphites* idem?

XII. APOLLONIUS PITANAEUS, a *Plinio* H. N. l. XXIX. cap. ultimo ut auctor medicamenti ad suffusiones dictus. De hoc nihil praeterea constat. Annon is solummodo librarii cuiusdam sphalmate sic vitiose loco *Cittiei* scriptus fuerit? Fere existimem.

XIII. APOLLONIUS STRATONICUS, ὁ ἀπο Στρατωνος, i. e. ex *Stratonis*, qui *Erasistrati* discipulus fuit, schola (uti iam *Fabricius* interpretari maluit, quam cum *Tiraquellio*, quem in eo *Haller* *Bibl. m.* pr. I. p. 124 sequutus est, illum dicere *Stratonis filium*). Inter *Erasistrateos* a *Galeno* censetur, eiusque *de pulsibus* opus ab eodem laudatur (de *different. puls.* l. IV.). Nullum alium hunc *Stratonis* discipulum fuisse, quam Apollonium *Memphitem*, iam *Fabricius* suspicatus erat, atque vix dubium ex ipso *Galeni* loco relinquatur. Quare *Hallerus* etiam hunc A. *Stratonicum* solo *Memphitis* nomine appellare non dubitavit. Atque, quam ita *Memphitis* cum hoc *Stratonis* Apollonio pro uno sit habendus, aetas *Memphitis* supra expressa hinc eo certior evadit.

XIV. APOLLONIUS TARSENSIS, a Galeno aliquoties ut medicamentorum quorundam auctor citatus (in libris de comp. med. sec. genera et sec. loca), Galeni videtur coevus fuisse. Nam *γυνωσμιον* s. familiarem, collegam, eum Gal. vocat (T. II. p. 589).

XV. APOLLONIUS ὁ Θηε, s. *Fera*. Ita vocatur ab Erotiano ad voc. *ἀμβρο*, causa singularis huius cognominis nulla patente, atque idem is esse videtur, ac Apoll. ὁ Ὀφίς supra dictus. Aetas eius incerta est, at probabiliter celebriorum antea dictorum Apollonior. aetate paulo inferior, post Asclepiadem putanda. *Bacchii* enim, glossarii Hippocratici auctoris, brevi post Herophilum viventis, librum explanatorium ab hoc A. *Fera* in epitomen redactum fuisse, *Erotianus* addit. Unde de aetate illius A. saltem aliquomodo iudicandum. Hunc A. *Mys* fuisse putem.

XVI. APOLLONIUS THESPIANUS, a Galeno (de comp. med. sec. loc. T. II. p. 589) citatur. Praeter hunc locum nullibi aliam eius mentionem factam novi. An is forsitan idem cum Apollonio *Hippocratico*?

XVII. APOLLONIUS senior, sic ab Erotiano ad voc. *ἀμβρο* ut huius voc. commentator dictus. Hunc *Fabricius* non habet; sicut etiam reliqui, quos addam, Apollonii, duobus ultimis exceptis, ab ipso (etsi ex parte in indice ad Galenum dicti) l. m. non recensentur. An ille A. senior forsitan *Memphitis* est? Aut, quem nunc dicam, A. *Hippocraticus*? Nihil praeterea de ipso exstat.

XVIII. APOLLONIUS HIPPOCRATICUS, uti hunc vocare malim, quem *Hippocratis discipulum* fuisse *Galenus* ait (comment. III. in Hipp. libr. de vict. rect. in acut., cap. 2), et quem Idem alio loco (de optima secta cap. 14.) *Hippocratis auditorem* dicit, qui febricitantibus paucissimam tantum aquam concesserit. Ab Erasistrato hunc Apollonium (scil. ex ipsius scriptis ac memoriae traditis) vituperatum fuisse ob parsimoniam in aqua febricitantibus propinanda, *Galenus* loco *priore* (huic posterioris testimonium eo magis augente) observat. Nullum huius Apoll. librum Galeni tempore amplius exstitisse, idem animadvertit, eo forsitan antiquitatem illius Ap. comprobans. Certe antiquissimus omnium hactenus dictorum fuit is A. *Hippocraticus*, etsi neque aetas definitius, neque patria eius expediri possint. Invenitur quidem apud *Hippocratem* ipsum (*Epidemicor.* III. *Aegrot.* 45) historia morbi lethalis *Apollonii* cuiusdam *Abderitani*, quem Hipp. bene noverit, et in hoc morbo curaverit; sed prorsus non novimus, an hic Apoll. *Abderitanus* medicus fuerit, nec ne.

XIX. APOLLONIUS CLIDIUS, s. *Claudius*, semel a Galeno (*Antidotor.* II.), et ex eo a *Fabricio* T. XIII. sub voc. *Claudius*, et a *Clerico* et *Hallero* citatur. Hoc tamen cognomen solummodo ex scriptionis vitio et negligente commutatione cum *Glaucia* Apoll. perperam irrepsisse, equidem existimem.

XX. APOLLONIUS EMPIRICVS, a Galeno saepius sic vocatus, supra iam a me ad Apollonium Mys dictus est. Probabile mihi videtur, eum, quem Galenus ita citat, fuisse Apoll. Antiochenum filium. Nam A. *Empiricum* librum *περι Ἰπποκράτους χαρακτῆρων* contra Zenonem Herophileum scripsisse, Galenus refert (T. V. p. 415). Contra eundem hunc Zenonem Heroph. libros quoque scripsisse Apollonium *Biblam*, atque probabiliter hunc nullum alium, quam A. Antiochenum filium fuisse, supra vidimus. Fieri tamen potest, immo ex loco apud Galenum antea cit. conicere licet, alterum quoque A. Antiochenum, scil. patrem, appellatum fuisse *Empiricum*, atque hunc A. patrem etiam librum apologeticum pro Hippocrate contra Zenonem illum scripsisse, quippe quum Galenus ibi addat, A. *Empiricum* confecisse librum dictum ante Apollonium *Biblam*. Utique circa rem hanc explicationis difficultas et obscuritas quaedam restat.

XXI. APOLLONIUS PHARMACOPOLA, hoc cognomine a solo Hallero (Bibl. chirurg. I. p. 60) nuncupatus, at neque a Galeno neque ab alio quodam auctore vetere eodem epitheto cognominatus, ex omnium, quae Hallerus de eo collegit, locorum inventorumque diligenti comparatione haud pro peculiari et ab aliis A. diverso, sed, quod ad maximam locorum illic citatorum partem attinet, pro Apoll. *Memphite* habendus est. Hoc non solum Galeni loca a Hallero citata, quo iste Apoll. Egypto vixisse et Andromacho aliquanto senior fuisse dicitur, sed aliae quoque pharmacorum ipsius citationes complures tum apud Galenum, tum imprimis apud Aetium, ubi is (L. VI. c. 95) expressis verbis *Memphitis* vocatur, comprobant. Haud tamen negare velim, aliis quibusdam locis, ab Hallero in A. Pharmacopolae arbitrarie sic vocati testimonium allatis, Apollonium *Cittieum* s. *Murem* aequaliter potuisse significari, nullo scilicet ibi addito cognomine.

XXII. APOLLONIUS APHRODISIACVS hoc nomine semel citatur Galeno (de comp. med. sec. loca I. II.), et ex eo a Cel. Sprengel (*Gesch. der Chirurgie* T. I. p. 11) ut auctor remedii externi ad capitis vulnera. Praeterea nullibi A. hoc cognomine laudatum invenimus. Ex ipso autem Aphrodisiaci (scil. idem quod *Cyprii*) cognomine conicere forte licet, hunc fuisse *Cittieum* supra dictum, ex Cypro quoque oriundum.

XXIII. APOLLONIUS CYPRIVS, ita semel apud Galenum (*Meth. med.* I. I. Opp. ed. Chart. T. XIII. p. 1012) scriptus, re curatius considerata, haud Apollonius sed APOLLONIDES *Cyprius* fuisse putandus est. Nam non solum de illo Ap. Cyprio refertur a Galeno, eum fuisse Methodicum, discipulum *Olympii*, et praeceptorem *Juliani*, medici Alexandrini et Galeno coevi, sed in eodem supra cit. Gal. libro paulo prius (p. 1010) expressis litteris idem scribitur *Apollonides Cyprius*. Atque eiusdem *Apollonidis Cyprii* medicamenta quaedam dicuntur etiam ab Aetio (T. III. c. 48.). Hinc illud „*Apollonius*“ in priore Galeni loco solummodo sphaelma apographicum fuisse censendum est.



XXIV. APOLLONIVS DECIMVS SERVILIVS, Romanae originis. Huius nomen solummodo servavit inscriptio vetus in ipsius sarcophago, a *Reinesio* primum, et ex hoc a *Fabricio* descripta:

D. L. Apollonii Medici D. L. Ambrosia fecit Patrono suo et sibi et suis. Et inferius versus hi:

Ὡδ' Επαφει \*) γεννημα σοφοις ἐπεικελος ἀνηρ  
Κεῖμαι Ρωμαίων σπερμα πολυκτηανων  
Κλητομενος Σεργιλιος, εἰς ἐτη ἔλθων  
Εννεα πβ δεκαδων και τρια, ὅσσ' ἔλεγον.

Haec inscriptio in via, quae a Neapoli Nolam ducit, prope Vesuvium, inventa fuit.

Praeter sat numerosos hos Apollonios, peculiaribus cognominibus appellatos (etiam pluries confusos) passim etiam alii Apollonii, nullo cognomine addito, a Galeno, Celso, Oribasio, Aetio etc. et in monumentis vet. memorantur (uti aliquoties jam vidimus). Ad hos Apollonios prorsus incertos incognitosque, de quibus nihil amplius dici potest, referendi quoque sunt tum Apollonius, ab *Apuleio* (in asini aurei l. IX, morsus a cane rabido) dictus, aliusque vetustior, *Cyri Archiatri* pater, itidemque Apollonii a Rhaze et aliis Arabibus simpliciter citati. Veri omnino haud absimile est, Apolloniorum horum plures inter supra singulatim recensitos esse comprehensos. — Praeterea aliquot etiam Apollonides medicos citatos invenimus.

Denique alios multos etiam fuisse Apollonios scimus non Medicos, sed tum Historicos, tum Philosophos, tum Mathematicos etc., inter eosque aliquos celebriores, uti Apollonium Tyaneum, theosophiae et mysticae naturae contemplationi deditum, quem *Fabricius* perperam Apolloniis medicis accenset, et cuius vitam *Philostratus* singulari opere panegyrico scripsit, tum Apoll. Alexandrinum Dyscolum, A. Pergaeum, A. Rhodium, A. Tyrium, aliosque; de quibus nobis non agendum est.

\* \* \*

Ex illa, quam non ita levi labore perfecimus, Apolloniorum Medicorum plurium Iustratione iam faciliiori opera diiudicari poterit, quinam Apollonii fuerint certius noti, et qui incerti, nec non qua aetatis et doctrinae ratione et quo ordine chronologico probabiliore diversi A. notiores sint distinguendi et disponendi. Reiectis itaque nunc iis Apolloniis, quos solummodo confusione et erronea vel fortuita multiplicatione cognominum reliquis per-

---

\*) An ex hoc „Cypria soboles“, hunc Apollonium e *Citties* gente fuisse, suspicari liceret? Ipse Romanum se dixit.

peram superadditos esse supra vidimus, sequentes Apollonios, ni fallor, ut certo olim vi-  
ventes scribentesque, chronologico ordine quantum per difficultates fieri potest exa-  
rato, statuendi erunt:

1. APOLLONIVS HIPPOCRATICVS, omnium antiquissimus, quem circa Olympiad.  
XC—CX. vixisse existimem.

2. APOLLONIVS MEMPHITES, passim quoque Herophileus dictus, rectius vero Era-  
sistrateus vocandus, procul dubio *idem is*, ac Apollonius *Stratonicus*, Apollonius *Archi-  
strator*, et Apollonius *Organicus*; probabiliter circa Olymp. CXX. artem in Asia minori  
exercens. Ad hunc A. Memphitem itaque, praeter emplastra apud Aetium sub ipsius  
nomine venientia, et praeter loca supra cit. apud *Caelium*, ubi *Memphitis* „diabetem cum  
hydropse confudisse“, atque „omnibus animalibus in intestinis natis, praesertim quum  
mortua sint, vim morbificam tribuisse“ dicitur, nec non alium locum apud *Galenum* (fe-  
minis dentes triginta esse), haec referenda quoque erunt, quae tum de *Stratonico* A. dicun-  
tur a Galeno (de differ. puls. IV, c. 17), pulsum ab ipso tributum esse dilatationi ar-  
teriae, quae fiat a spiritu, e corde misso (ex Erasistratei doctrina), tum quae de *Ar-  
chistratore* \*) a Galeno narrantur, eum plura pharmaca contra auditum difficilem (de  
comp. med. sec. loca I.), ozaenam, aphthas (ib. II. V.) invenisse, et succum cyrenai-  
cum in angina laudasse, nec non encephalidem ab insolatione accurate descripsisse  
(lib. II.), sin alias omnia haec observata ad Archistratorem s. Memphitem pertinent, tum  
quae de A. *Organico* a Galeno (comp. med. sec. gen. I. V.) feruntur, eius medicamen-  
tum ad carbunculos ab Asclepiade citatum fuisse.

5. APOLLONIVS CITIEVS\*\*), *idem Mus* quoque vocatus, *idemque* crebro *Herophi-  
leus*, et (apud Hallerum) *Pharmacopola* dictus. Aetatem supra iam eruere studuimus. De  
hoc Apoll., quem annon Erasistrateis potius accenseam, adhuc incertus haereo, hic quaedam,  
in quae serius incidi, ex *Athenaeo* et *Plinio* adjungam, quibus supra de eo dicta clariorem lu-  
cem accipere videntur. Etenim *Athenaeus* (Deipnosoph. I. XV.) *Apollonii* mentionem facit,

\*) Quem cel. *Sprengel* G. der *Ak.* T. II, p. 41 *Pergamenum*, atque libri *Eaporistorum* auctorem fuisse  
dicit, eum aliquatenus cum A. *Antiochensio iuniore*, et cum A. *Muro* confundens.

\*\*) De huius libris adhuc superstibus et supra iam e *Niceta* citatis, de *articulis*, et *Commentar.* in Hippocr.  
de *articulis*, *Hallerus* in *Bibl. chir.* I, 29. haec habet: „APOLLONII CITIAEI de *articulis* capita 57. (co-  
dex), cum *tabulis* 28, sunt in *Biblioth. Parisina*, nro. 2247. Alius codex est inter *Mediceos* in collectione  
*Nicetae*, in quo (eiusdem *Citiei*) *commentarii in Hippocratem de fracturis*, pariter cum *iconibus*, conti-  
nentur. Tres libri sunt (scil. *commentarior.*), *articuli* 54. Solum specimen *Cocchius* edidit. Eas ad  
dislocationes ossium pertinentes figuras *Spinus* viderat.“

qui de coronis et unguentis (περὶ στεφανῶν καὶ μυρών) librum scripserit, unde Myronides appellatus fuerit. Ex hoc Apollonii Myronidis libro Athenaeus ipse fragmentum descripsit haud exiguum de unguentis variis bene odorantibus (Iriino, Rosaceo, Croceo, Cyprico etc.), quod ita incipit: Ἴρις μὲν ἐν Ἡλίδι χρῆσεται, καὶ ἐν Κυζικῶ. etc. (Athenaei Deipnos. edit. Casaubon. p. 688 et initio p. 689). Apollonius hic ab Aethenaeo expressus Herophileus dicitur. Atque Plinius in elencho operis sui (qui in editionibus antiquioribus primum ipsius operis librum constituit, quem vero Harduinus in sua editione Plinii nunc huius auctoris sed senioris epitomatoris, attamen prisci, laborem fuisse ostendit) et librum XXVIII. Apollonium qui Μυρωσίων (i. e. artem cosmeticam et unguentariam scilicet tradiderit) nominat. (In ipso tamen textu libri XXVIII, quem ideo bis perlegit hunc Apollonium prorsus non dictum inveni). Atque Harduinus in suo auctorum a Plinio citatorum indice (ad egregiam suam Plinii editionem in fol. T. I. p. 55) de hoc Apollonio addit: eum Herophileae sectae medicum fuisse, Μυρς cognominatum, et ex eius de unguentis libro (eodem, quem Athenaeus allegat) Plinium multa in libro XIII. transscripsisse. Id etiam perspicienti mihi hunc librum XIII, et comparanti huius capituli secundi partem, incipientem a verbis: „Irinum Corinthi etc.“, cum Athenaei loco cit., unaque Harduini notationes ad h. l. respicienti, clare patuit. Hinc auctorem illius operis non tam A. Antiochenum (uti supra ex Fabricio attuleram), sed Citieum putare, atque de epitheti Apollonii huius „Μυρς“ origine suspicari licebit, id solummodo ex abbreviatione vocis Μυρωνιδῆς ita ortum esse, ut per fugitivum librariorum calammum Apollonius Μυρς. in Apoll. Μυρς mutatum fuerit, et sic vitiose postea in operis Apoll. exemplaria et citationes irrepserit. Interea non praetervidendum est, eundem Athenaeum alio loco (l. XII. p. 578.) auctorem illius operis περὶ μυρών καὶ στεφανῶν Apollodorum dixisse, et in alio itidem l. (p. 691) auctorem illum solo verbo Myronidem citavisse. Sed fieri facile quoque potuit, immo probabiliter factum est, ut nomina Apollonius et Apollodorus a veteribus, nisi auctoribus, certe librariis interdum confunderentur, quod in ipsis Galeni operibus aliquoties accidisse videtur. Forsan ex tali coniectura etiam Apollodori Citiei, qui a Dioscoride passim sic citatur nec non a Plinio (l. XIV, T. II. p. 191, Citieus, „qui volumine quodam ad Ptolemaeum, quae vina is biberet, scripserit“, et alter, Tarentinus), nomen in Apollonii Citiei nomen rectius mutandum foret; quod tamen minime pro certo contendere velim. Caeterum ex illis apud Athenaeum et Plinium locis omnino Pharmacopolae (unguentarii) epitheton, quod apud Hallerum Apollonio absque alio cognomine tribui diximus, vindicari, unaque, hunc Halleri Apollonium, (Bibl. Chir. I. 60.) de quo ille incertus mansit, revera Myronidem, hinc Citieum fuisse, comprobari poterit. Atque reapse ex numerosis medicamentorum compositionibus, quas Galenus (de med. comp. sec. loca, et sec. gen.), Aetius, et Orbasius ex Apollonii Herophilei libris ἐπιπροστίθεν adferunt, eo probabilius fit, hunc in

praecipendis medicamentis externis, praesertim fusissimum auctorem, sive eum *Citium*, sive *Antiochenum* *Herophileum* fuisse existimaveris, *Myronidis* nomen prae reliquis apertissime meruisse. Videtur tamen, cum ipsius medicamentis varia quoque *Apollonii* *Memphitis*, et *Pergameni* s. *Antiocheni*, medicamina saepius confusa fuisse. — Laudat *Galenus A. nostrum*, quod is medicamenta plenius, quam *Archigenes*, et cum curatiore discrimine descripserit, vituperat tamen, quod non satis causas morborum distinxerit et contraria multa miscuerit. Ex libris 29 *de pulsu*, quos *Nostro Caelius* tribuit, locus ab hoc adfertur, quo ille pleuritidis sedem et in pleura et in pulmone simul posuisse dicitur. An forsitan tam *Memphitis* quam *Citius* libros *de pulsu* scripsere?

4. APOLLONIUS ANTIOCHENSIS pater, verosimiliter idem imprimis, quem *Empiricum* quoque diximus, antiquiorque ex *A. Herophileis*. An hic fuerit *Antiochenus* (uti putare malim), quem etiam libros ἀπορίων conscripsisse *Galenus* ait, aut an filius, certius determinari nequit.

5. APOLLONIUS ANTIOCHENSIS filius, idem is, qui *Biblas* quoque vocatus est, nec non a *Galeno* pariter *Empiricus*, et ex *Herophileis* iunior. An huius, aut patris, aut *Pitanei* liber est περὶ βοτάνων, cuius *Nicandri Scholiastes* meminit, nescimus.

6. APOLLONIUS ὁ ὄνη s. ferus, *Ophis* quoque dictus. Huius, quem fere cum *Apollonio Citio* s. *Myronico* unum eundemque existimare malim (testimoniis tamen certioribus deficientibus), nomen singulare simili modo, ac apud *A. Mus* antea dixi, ex abbreviatione inscriptionis operis περὶ ὄνων, s. de animalibus venenatis, et vitiosa inde facta citatione et lectione ortum esse suspicarer, ubi modo hic quoque supponere licet, auctorem operis illius, quod saepius a *Plinio*, *Nicandri Scholiaste*, *Aeliano*, et *Athenaeo* sub *Apollodori* nomine citatur, per nomen *Apollodori* et *Apollonis* commutandorum facilitatem rectius scribendum esse *Apollonium*. Quod an cum probabilitatis quadam specie concedi poterit, videant doctiores. — Hi tres *Apollonii* (4. 5. 6.) intra *Olymp. CXX — CXXX.* vixerunt.

7. APPOLLONIVS TARSENSIS, *Galeni* aevo degens.

De reliquis *Apolloniis* supra recensitis, quotquot ipsorum non cum iis, quos hic denno iustravi, in unos eosdemque confluant, scil. praeter *A. Pergamenum*, quem eundem cum *Archistratore*, hinc unum fuisse cum *Memphite*, magis magisque opiner, de *Glauco* s. *Glauca*, *Pitaneo*, *Thespiano*, *Seniore*, *Clodio*, *Aphrodisiaco*, neque circa aetatem, qua vixerint, neque circa scripta, quae ediderint, certi quid extricari a me potuit.

Epimetri loco subiungam hic textum graecum fragmenti Apollonii aut Memphitici s. Erasistratei (quem ut eius auctorem censere equidem praeferrem), aut Citei s. Mureti de scarificatione, quod in duo capita divisum Oribasius nobis servavit, et de quo iam supra (p. 16. 17) dixi. Fragmenti huius, quod etiam argumento suo et expositionis scitae idoneaeque ratione medicis commendabile, ad scarificationis antiquam historiam iuxta Antylli et Heliodori fragmenta perbene facit, textum hunc graecum ex Matthaei Opere supra laudato descripsi, denuo recensui, lectiones codicis Moquensis variantes a b. Matthaei in annotatiunculis subjectas comparavi, atque quasdam earum, quae mihi imprimis idoneae visae sunt, in ipsum textum recepi, relinquens reliquas, cum alius codicis (scil. Romani) cum illo comparandi defectum, extra illum adhuc. Quasdam Matthaei notationes, minus idoneas commodasve visas, omisi; aliasque proprias subiunxi. Versionem Rasarii addidi, paucis tamen locis aliquantum mutatam. Atque sic primum seorsim editum hoc Apollonii nostri fragmentum lectoribus medicis aliisque graecophilis haud iniucundum fore spero.

Κ ε φ. ι θ. (Oribasii libri VIII.).

Cap. 19.

Περὶ ἐγχαράξεως <sup>1)</sup>. Ἐκ τῶν  
Ἀπολλωνίου.

Apollonii de scarificatione.

Καταμαθὼν, ὅτι εἰς τόνωσιν καὶ τὸ ὅπως δὴ ποτε παραφυλάσσειν ἔχειν <sup>2)</sup>, ἢ πλεῖστη γίνεται συνέργεια ἔκ τοῦ αἵματος, ὡς μὲν ἐπιπᾶν πλεονάζοντος, ἔστι ὅτε κατὰ τὴν ποιότητα ἐπὶ τὸ χεῖρον τρεπομένου. ἀρμόζειν ὑπέλαβον, πλεονάζοντος μὲν, τὴν ἐλάττωσιν, διεφθορότος δὲ, τὴν ἀλλοίωσιν. Τὸ μὲν οὖν φλέβας διαιρεῖν πολλάκις τοῦ ἔτους, οὐκ ἐπιτήδειον ἡγούμην <sup>3)</sup>, ἐννοῶν,

Cum ad corroborationem, et quamlibet corporis tutelam, sanguinem conferre plurimum didicerim, is ipse vero plerumque redundet et interdum qualitate in pejus vertatur, existimavi, ubi redundat, imminutionem, ubi corruptus est, immutationem convenire. Venas igitur eodem anno saepe incidere, non esse accommodatum censui: quoniam una cum multo san-

1) Recentius hoc ἐγχαράξεως (loco τῆς σικυας ἀποβαλλεῖν) verbum aevo est Hippocratico, neque hic apud Erotianum, neque apud Foesium invenitur, primumque apud Aretaeum occurrit. Quae exinde etiam depromendum aetatis Apollonii auctoris huius fragmenti, ut Hippocratis aevo multum certe recentioris, aliquod erit testimonium. *Hart.*

2) Duo infinitivi sine copula hoc modo consistere nequeunt. Ergo aut ἔχειν delendum, aut ante id aliquid interponendum, venturi: καὶ ὑγιεινῶς, seu σωτηρίως; vel παραφυλ. corrigendum, mutandumque in παραπεφυλαγμενῶς. Sine codice (alio) nihil certi definiri potest. *Matth.*

3) Patet ex prudenti bonoque hoc praecepto, medicum scitum cautumque indicante, auctoris tempore

ἔτι αἷμα τοῦ αἵματι πολὺ συνεκκρίνεται τὸ  
 ζωτικὸν πνεῦμα. Τούτου δὲ ἀναλισκομένου, πυ-  
 κνότερον ὁ τε ἔλος ὄγκος καταψύχεται,  
 καὶ πάντα τὰ φυσικὰ ἔργα χεῖρω γίνονται.  
 Ἐποκίμασα οὖν ἀπὸ τῶν ἀκυρωτάτων μερῶν,  
 εἴην ἀπὸ τῶν σκελῶν, καὶ ἐγχαράξιν ποι-  
 εῖσθαι τὴν ἀφαίρεσιν, μετρούοντας, τῆ τε  
 ἕξιν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τῆ χρείας, τὸ πλη-  
 θος. Λήξον δὲ τὸ βοηθῆμα, εἰς τε τήρησιν  
 τῆς υἰείας, καὶ εἰς ἀνάκτησιν, ὅποτε παρα-  
 τρεπῆ<sup>4)</sup>, ἢ ὑπο τριῶν δὲ τινῶν αἰτίων. Μη-  
 δεὶς μέντοι ὑπολάβῃ, μὴ ἐμβαλλεῖν τὴν φλε-  
 βωτομίαν. Εγὼ γὰρ ἐκείνην μὲν ἐπὶ τῶν μεγί-  
 στων καὶ κινδυνωδέστατων παθῶν ἐκ<sup>5)</sup> ἀπο-  
 λείπω, ἐφ' ὧν πολὺ καὶ ἀδρῶν αἷμα ἐκχέαι  
 δεῖ. Πρὸς γὰρ τὰς σφοδρότητας τῶν παθῶν  
 αἰ ἀδρότητος τῶν κενώσεών εἰσι κατάλλη-  
 λαι. Πληθῶραν δὲ σύμμετρον, μέλλουσαν τι  
 ποιῆσαι καιρὸν, καὶ ἤδη παραπτομένην τῆς  
 εἰς τὸ νοσῶδες παρατροπῆς, ἐπὶ ταῖς ἀμυ-  
 χαῖς ταραχθεῖσα κνήμη, καὶ ἐκδοῦσα ἄλυ-  
 πον, καὶ ὄσπην γέλομεν, τὴν ἐπίδησιν<sup>6)</sup> τοῦ  
 αἵματος, ἐπιλυεταὶ χωρὶς ἰσχυραῖς τῆς περὶ  
 τοῦ ὄγκου συγκινήσεως. Πολλάκις μέντοι

guine spiritum quoque vitalem effundi in-  
 telligebam: quo crebrius exhausto, tota  
 corporis compages refrigeratur, et omnes  
 naturales actiones peius obeuntur. Quocir-  
 ca judicavi, a particulis ignobilissimis, ut-  
 pote a cruribus, sanguinis detractionem  
 scarificando fieri debere; quantitatem me-  
 tiendo ex hominis habitu atque usu, qui  
 expostulet. Praestantissimum autem hoc au-  
 xilium est, tum ad tuendam sanitatem,  
 tum ad recuperandam, dum adversa fuerit,<sup>\*\*</sup>  
 vel ab aliquibus hujus modi causis. Nemo  
 tamen putet, me venae sectionem rejicere.  
 Eam enim ego in maximis periculosissi-  
 misque affectionibus non omitto: in qui-  
 bus abunde, et magna statim copia sangui-  
 nem effundere oportet. Nam vehementiae  
 affectionum etiam evacuationum satis lar-  
 ga copia respondere debet. Plethoram ve-  
 ro mediocrem, quae aliquid mali sit fa-  
 ctura, et jam conversionem in morbosum  
 statum attingat, tibia scarificationibus tra-

venae sectiones prophylacticas crebrius per annum *consuetudinē* causa institutas iam in usu fuisse, quod  
 etiam ex Galeno videmus. *Harl.*

- 4) In margine Codicis legitur: *hic deest quidpiam.* Scil. membrum saltem unum incipiens ab ἢ ὑπο,  
 ac deinde, ἢ ὑπο. Hinc duae stellulae *Rasarii. Mattb.*
- 5) Ita (ἐκ<sup>5)</sup>) legendum esse puto, sensu id manifesto poscente, loco παθῶν ἀπολείπειν,  
 uti in textu ad *Mattb.* scribitur. Auctor quidem lect. marginalium quorundam ad Codicem Mosqu. sense-  
 rat necessitatem ita interpretandi, dum loco μὲν ad marginem scripserat μὴ. At μὴ illo loco tam  
 distanter a verbo ἀπολ. positum haud e graece dictionis ingenio scriptum foret, et illi μὲν  
 respondet infra δε. *Harl.*
- 6) *Mattbaei* hoc verbum improbare maluit, derivationem eius haud inveniens. At derivandum ab  
 ἐπίδηω, colligo; *condense*, et spissationem s. stagnationem sanguinis hoc loco significat. *Harl.*

πλείον τοῦ ἰκαροῦ συναγεται· ὅθεν οὐκ ἄνη-  
τέον, ὅσακις ἂν πλήθους σημεῖα προσπέσῃ,  
συναίρειν αὐτό· τῶ δὲ δηλωμένῳ τρόπῳ· Συμ-  
φέρει γάρ, μὴ σφριγᾶν, μὴδὲ διατείνεσθαι  
τὰ σπλαγγνα, καὶ τὰ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι  
ἀγγεῖα, μάλλον δὲ, ἐν πᾶσι τινὶ εἶναι χα-  
λάσματι, ἵνα τὸ φυσικὸν εὐσθῇ πνεῦμα<sup>7)</sup>.

Κ ε φ. κ.

Ὅτι ἡ ἐγχαράξις τὰς μὴ καλῶς  
καθαίρομένας \*) ὠφελεῖ, καὶ  
ἀλλὰ πολλὰ πάθη.

Ταῖς γυναίξιν, αἷς τὰ περὶ τὴν κά-  
θαρσιν μὴ διευτύχηται, θαυμασίως ἡ ἐγ-  
χαράξις βοηθεῖ· τὸ γὰρ ἐκεῖ ἐνδόν ταύτη  
κενύεται<sup>8)</sup>· δεῖ δὲ τὴν προθεσμίαν αὐτοῖς  
περιμένειν, καὶ τότε, εἴαν μὴδὲν ἢ ὀλίγον  
ἀπαυτοματιζῆ<sup>9)</sup>, ἐφ' ὅσον ἡ χρεῖα παρα-  
καλεῖ, τῇ διὰ τῆς ἀφαιρέσεως χρῆσθαι βο-  
θεία. Τισὶ μὲντοι καὶ συνήργησε γυναίξιν εἰς  
τὸ ἔδος τῆς ἐμμήνου ἀποκαταστῆναι καθάρ-  
σεως. Ἡ γὰρ ἐπὶ τὰ κάτω μέρη συνεχῶς<sup>10)</sup>  
ἀγωγή τοῦ αἵματος, ἔσπῃν ἐμποιεῖ αὐτῶ.

7) Ex his de vitali *pneumate* expositis haud obscure, puto, liquet, *Apollonium* hunc fuisse *Erasistrateum*, aut certe magis ad huius theoriam inclinavisse. *Harl.*

\*) Scil. *γυναικας*.

8) Codex *κενῶνται*. *Matth.* At "*κενῶται*" rectius, et tam *græcæ* L. *grammaticæ* quam *dialecti-  
jon*, respondet. *Harl.*

9) *ἀπαυτοματιζεῖ*, *Cod. Matth.*

10) Sic legendum puto loco *συνεχῶς* in *cod.* et *edit.* *Harl.*

etata, quæque sine molestia, et quantum  
voluerimus, sanguinis stagnationem expe-  
dierit, citra validam totius corporeæ mo-  
lis commotionem, solvit. Sæpe autem plu-  
quam satis sit, congregatur. Quare non est  
cunctandum, quin, quoties signa plente-  
dinis inciderint, eam tollamus eo modo  
quem nunc præscripsi. Præstat autem vis-  
cera, quæque in toto corpore insunt van-  
non repleti immoderate, neque distendi  
sed potius in quadam relaxatione termina-  
ta contineri, ut expedite permeare spiri-  
tus naturalis queat.

Cap. 20.

*Scarificationem* mulieribus, quæ  
non probe menstruant, itemque  
aliis affectionibus prodesse.

Mulieribus, quibus non prospere suc-  
cedunt menstrua, scarificatio mirabiliter au-  
xiliatur. Nam quod illic minus est factum,  
hac ratione evacuatur. Statutum autem men-  
sium tempus expectandum est: tuncque, si  
nihil, aut parum sponte sua fluxerit, hoc  
auxilio tantum detrahemus, quantum usu  
postulaverit. Quinetiam hoc auxilium quibus-  
dam mulieribus maxime profuit, ut  
menstruæ purgationes de more iterum re-

Εγγὺ μέντοι καὶ τὰς λίαν πρεσβυτέρας, αἷς  
 ἐν πολλοῦ οὐδὲν ἔμμηνον φέρεται, ὅταν ἐν  
 σωματικῶν τινὶ γένωνται ἐνοχλήματι, διὰ  
 τῆς τοιαύτης κουφίσω θερραπείας. ἴδιος <sup>11)</sup>  
 γὰρ γυναικῶν αὕτη, πολὺ τὸ δυναμικὸν ἔχει,  
 ἐπιμειῖται τὸν τῆς φυσικῆς ἐκκρίσεως τρο-  
 πόν. Κενὸν δὲ εἶωθα, ἐνίστε μὲν, διὰ σμιλίου,  
 ἐνίστε δὲ διὰ βδέλλων προσβολῆς. καὶ ὀφ-  
 θαλμοὺς δὲ τις ὑπὸ βεύματος ἀπαύτου ἐκ  
 πολλοῦ χρόνου διαλελυμασμένους <sup>12)</sup> ἰάθη  
 διὰ τῆς τοιαύτης βοηθείας, χρησαμένων  
 ἡμῶν καὶ τῆ ἄλλῃ τοπικῇ <sup>13)</sup>, περὶ τοὺς  
 ὀφθαλμοὺς, καὶ ὅλου τοῦ σώματος ἐπι-  
 μελεία. Καὶ πρεσβύτης τις, πρῶτον μὲν ἐκ  
 διαλειμματῶν μακρῶν, εἶτα δὲ καὶ βρα-  
 χέων <sup>14)</sup>, ὑπὸ πνιγῶδους περὶ τὸν πνεύμονα  
 ψειχωρίας ἐνοχλούμενος, ἐθεραπευθῆ τῶ  
 αἰμαίῳ τρόπῳ. Κενὸν δὲ δεῖ, ὅσον ἐμφαίνε-  
 ται καλῶς ἔχειν, καὶ φυλακτέον ψύξιν,  
 τρεῖς δὲ σύμμετρον ἐπὶ τρεῖς ἢ τέσσαρας  
 ἡμέρας δίδόναι. Καὶ λοιμοῦ δὲ κατασχόντος  
 ἰχμερῶ τὴν Ἀσίαν <sup>15)</sup>, καθ' ὃν πολλοὶ διε-

dirent continua enim ad partes inferiores  
 sanguinis deductio, ei quoque viam ac pro-  
 pensionem parat. Equidem mulieres, quae  
 multum aetate processerant, et quibus jam-  
 pridem menstruae purgationis nihil appa-  
 ruerat, ubi aliqua molestia corporea vexa-  
 rentur, hac curatione sublevare consuevi.  
 Est enim haec mulieribus idonea, et inpr-  
 mis virium ipsarum conditioni apta: quip-  
 pe quae naturalis excretionis modum imi-  
 tetur. Evacuare autem interdum scalpello  
 soleo, interdum hirudines admovendo. Jam  
 vero cum oculos quidam ex longe tempore  
 ab incessabili fluxione infectos haberet, hoc  
 praesidio sanatus est, quum nos aliis quo-  
 que localibus auxiliis ad oculos uteremur, et  
 totius corporis curam gereremus. Senex  
 etiam quidam, cum prius per longa in-  
 tervalla, deinde brevia, strangulante circa  
 pulmonem angustia vexaretur, simili mo-

11) Immo ἴδια, scil. Θεραπεία. Ante πολὺ addendum καὶ. Forte tamen loco ἴδιος legendum  
 ἐπι. *Matth.* Minus arrident mihi haec coniecturae. Mallet legere ἰδίως, tum comma ad αὕτη  
 abicere, neque καὶ supplere. Πολὺ tamen corruptum et forsā in ἐπι πολὺ mutandum videtur. *Hartl.*

12) Θεραπεία. *Matthias* subintelligit. At referri quo pariter possit ad sequens: ἐπιμελεία. *Hartl.*

13) Ita scribendum esse putavi cum *Matth.* loco διαλελυμασμένους, quod tamen *Matth.* adhuc in textu  
 retinuit. *Hartl.* λελυμασμένος frequenter occurrit; διαλυμαινεσθαι habent etiam Aristophanes  
 et Julianus Imper. pag. 554, ed. Lips. *Matth.*

14) In Codice est sigla, quae βραχεως notat. *Matth.*

15) Hunc locum memorabilem merito dicit *Matthias*, tum propter rem ipsam, (scil. ob pestis inflamma-  
 mator. in Asia minori circa Ptolomaeorum serior. tempus, sive definitius circa Olymp. CXX — XXV. sae-  
 vientis hic exhibitam notitiam), tum propter Apollonium, Mias vero certo exinde sequi equidem puto,  
 Apollonium Memphitem, vel quem auctorem arbitremur, in Asia minori domicilium fixum habuisse. *Hartl.*



Φθάρησαν, ὑποπεσὼν καὶ γὰρ τῇ νόσῳ, κατὰ τὴν δευτέραν ἡμέραν, ἀγέσεως γενομένης, κατακλιθεὶς τὸ σκέλος, ὡς δύο λίτρας <sup>16)</sup> αἵματος ἀπέκρουσα, καὶ διὰ τοῦτο τὸν κίνδυνον ἀπέφυγον. Πολλοὶ οὖν καὶ ἄλλοι, χρησάμενοι τῷ βοηθίῳ <sup>17)</sup> τούτῳ, διασώθησαν. Πλήθους γὰρ ἦν σημεῖα, καὶ ἐσώζοντο μάλιστα οἱ δαψιλῶς τὸ αἷμα κενῶντες. ἔτι τοίνυν κεφαλαλγίας συμμέτρους ἀναιρεῖ, παρίσθμιον <sup>18)</sup> φλεγμονάς, περὶ πλευρῶν <sup>19)</sup> ὀδύνας προσκαίρουσι τὰ δὲ χρονιώτερα τῶν τοιούτων συμπτωμάτων ταῖς τοπικαῖς ἐγχαράξεσι διαλύομεν. Καὶ δὴ καὶ τοὺς ἐκ νόσων ἀναλαμβάνοντας, καὶ δυσχερῶς εἰς τὴν καταφύξιν ἑαυτοῖς ἔξιν ἀφικνουμένους, οὐδὲν οὕτως ἐπὶ τὴν προσηκούσαν εὐτροφίαν <sup>20)</sup> ἄγει, ὡς ἡ δὲ ἐγχαράξεως ἀποκένωσις τοῦ αἵματος.

do est curatus. Vacuandum autem tantum est, quantum bene ferri videatur. Atque cavenda est refrigeratio: alimentumque moderatum tribus, aut quatuor diebus dandum. Ac cum pestilentia vehemens per Asiam vagaretur, multique ex hac causa obirent, egoque in morbum itidem incidissem, secundo die cum, remissio fieret, crus sacrificavi, et ad duas libras sanguinis detraxi, atque hac ratione vitari periculum. Quo sane auxilio cum nulli quoque usi essent, sunt servati. Erant enim signa plenitudinis, atque illi praecipue evaserunt, qui sanguinem copiose evacuaciissent. Quinetiam capites dolores moderatos, tonsillarum inflammationes, ac dolores laterum recentis tollit. Nam diuturniora huiusmodi symptomata localibus scarificationibus dissolvimus eos denique, qui vires reficiunt, et ad statum naturalem difficulter redeunt, nihil sane est, quod aequae eos ad aptam et idoneam, bonamque nutritionem ducat, ac sanguinis per scarificationem evacuatio.

16) i. e. circiter 24 Uncias ponderis medici. Nam λίτρα fore aequavit libram medicam. *Harl.*

17) In Codice primo scriptum τῷ βοηθίῳ, sed rursus deletum, deinde iterum scriptum τὸ βοηθίον, sed hoc quoque punctis notatum. *Matth.*

18) In codice monstrosus est vocabulum παρίσθμιον. Literae tamen σ superscriptum ω, vid. Eretian. p. 44. et Galen. in Glossar. p. 62. *Matth.*

19) De hoc vocabulo *Matthaei*, nescio cur, dubius haesitat, interrogans, quid sit περὶ πλευρῶν? ei πλευρῶν, aut περιπνευμονικῶν praeferenda putans. Sed αἱ πλευραὶ saepius dici suserunt de membranibus pectoris in genere, et promiscue de ipso simul pulmone, in pleuritide [simul cum membranibus vestientibus affecto, Hoc Rasarius recte vidcrat et verterat. *Harl.*

20) Rasarius expressit εὐτροφίαν, quod satis notum et non alienum a hoc loco. Εὐτροφία potest esse agilitas corporis, et legitur in *Gregor. Nyss.* T. II, p. 419. *Matth.* Atque Rasarii lectio recitior magisque idonea videtur. *Harl.*

Hoc quidem fragmentum Apollonii, quem ex loco supra notato de pneumate omnino ad Erasistrateos potius pertinuisse, hinc pro Memphite magis, quam pro alio supra dictorum habendum esse, suspicari licebit, revera argumento sui tractatione, et praeceptorum, quae ab auctore dantur, idonea et naturali expositione medicum haud inferioris notae exhibet. Hunc vero minime Oribasium ipsum fuisse (id quod *Cel. Sprengel* in T. II. Operis saepe cit. arbitratus erat, fortassis fugitivo tantum huius fragmenti adspectu ad hanc opinionem ductus), sponte pateret cuique, attentius id legenti, nisi etiam in inscriptione Apollonio id tributum fuerit. In aliud huius testimonium vocari forte possit quoque tum locus, quo de peste, quam auctor in Asia perpessus fuerit, idem loquitur, tum alius iste, ubi se ipsum in curandis mulieribus per cucurbitulas et scarificationes expertum profitetur, quippe quum Archiatrum Imperatoris (qualis fuit Oribasius) eiusmodi curationibus in praxi publica vacare potuisse vix crederes. — Caeterum admodum dolendum est, alios illos Apollonii (aut Memphitis aut Citiei) libros chirurgicos, quos supra e *Nicetae* collectione diximus, sive sint tantum fragmenta maiora ex iis, nondum hucusque integre graeco textu esse editos; atque valde optandum foret, ut quam primum fieri possit, novus *Cocchius* in terris Florentinis Romanisve Antonio Cocchio eruditione par, edendorum horum librorum Apollonii, procul dubio lectu et comparatu sat dignorum, operam susciperet. Quo fructuosior vero haec evaderet, opus foret, cum codice *Nicetae* eoque completiore, qui in Biblioth. Medicea exstat, (olim Byzantino), diligenter comparare duo alios codices eiusdem *Nicetae*, in *Biblioth. Reg. Paris.* sub nro. 2247 et 2248 exstantes, in quibus tamen quaedam ex Apollonii dictis libris deficere vel certe mutilata esse dicuntur. Atque mihi ipsi tum, quum occasio veniaque concederetur a Bibliothecae tum Mediceae tum Parisinae praefectis, inspiciendorum et comparandorum illorum codicum, describendique Apollonii textus graeci, in publicum edendarum harum Apollonii nostri reliquiarum gratum foret optatumque munus.

Comparisonis haud inutilis nec iniucundae causa subiungere hic placet adhuc aliud fragmentum brevius de scarificatione per cucurbitulas alius Chirurgi satis celebris eiusdem ferri aevi, aut potius aliquanto senioris, scilicet *HERODOTI Pneumatici*, (Romanae Chirurgiam facientis?), Archigenis coetanei, quod pariter *Oribasius* servavit, et quod pariter b. Matthaei primum graece ex codice Oribasii Mosquensi nobis dedit. Huic fragmento, primum quoque hic seorsim graece recuso, explicationem addere superfluum duxi. Hinc habetur textus revisus cum versione *Rasarii*:

Ἐκ τῶν Ἡεροδότου. Περὶ σικυῶν <sup>1)</sup>. Ἐκ  
τῶν περὶ κενουμένων βοηθημάτων.

Σικύα δὲ δύναται κεφαλῆς ὕλην κενώσαι, ὀδύνην λύσαι, φλεγμονὴν μειώσαι, ἐμπνευματώσεις διαφορῆσαι, ὀρέξεις ἀνακαλέσασθαι, ἄτονον καὶ λελυμένον σμάχον τονῶσαι, λειποθυμίας ἀπαλλάξαι, τὰ ἐκ τοῦ βιάδου εἰς τὴν ἐπιφάνειαν μεταξῆσαι, ρεύματα ξηρῶσαι, αἰμορραγίας ἐπιτχεῖν, ἐμμήνων ὑπομῆσαι <sup>2)</sup> περιόδους, φθοροποιούς δυνάμεις ἐλκύσαι, ῥίγη παῦσαι, περιόδους <sup>3)</sup> λύσαι, ἀπὸ καταφοράς διεγείρει, ὕπνον ἐργάσασθαι, βόρη κουφίσαι. Αὗται δυνάμεις σικυῶν, καὶ ὅσαι ταύταις παραπλήσια. <sup>4)</sup>

Eius Herodoti, de cucurbitulis. Ex libro  
de praesidiis evacuantibus.

Cucurbitula materiam, quae in capite est, evacuare potest, itemque dolorem solvere, inflammationem minuere, inflammationes discutere, appetitum revocare: inbecillum, exolutumque stomachum corroborare: animi defectiones amovere: quae in profundo sunt, ad superficiem traducere fluxiones siccare, sanguinis eruptiones cohibere, menstruas purgationes provocare facultates corruptionis effectrices attrahere rigores sedare, circuitus solvere, a proensione in somnum excitare, somnum conciliare, gravitates levare. Atque haec quidem, quaeque his similia sunt, praestare cucurbitularum usus potest.

1) Herodotum Lycium laudat Athen. Deipnos. p. 75. 78. sed περὶ σικυῶν. Mastb. Sed auctorem huius fragm. minime H. Lycium, sed Herodotum Athenaei (aut Azaibini?) discipulum fuisse, certum est.

2) De hoc dubito. Forte ὑποκινῆσαι. M.

3) Galen. in Defin. med. περίοδος ἐστὶν ἐξ ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως ἐν νοσήμασι χρόνος. M.

4) Multo fufius et specialius hoc argumentum tractavit Antyllus, celebris ille Chirurgiae scriptor, saeculo I. post Chr.; Herodoto coaevus, ex cuius opere (pariter, ac Herodoti opus, περὶ κενουμένων βοηθημάτων inscripti) capita longa de scarificatione, cucurbitulis, et hirudinibus exscripsit idem Oribasius in libro VIII. Eadem quoque primum graece typis expressae in Mastbasi exstant collectae, cit. de hoc Antyllo eiusque fragm. vid. cl. Nicolaidis et Sprengelii eorum editionem, 1799. Harl.